



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

2. Dudum affectionibus &c. Ad Regem Angliæ, quod inclinet animum ad
pacem: adjiciens nova tangentia Turcas: anno 1345.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1345.

II.
Ex Arch.
Angliæ
Rymer
Tom. 5.
pag. 439.

Ad Regem Angliæ, quod inclinet animum ad pacem: adjiciens nova tangentia Turcas: anno 1345.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Dudum afflictionibus variis & diris oppressionibus, quibus illi hostes ferocissimis, Turcæ vid. Persecutores & Blasphemi nominis Christiani persecuti fuerant immaniter, & persequi continuò non cessabant Fideles Christi, ejus pretioso redemptos sanguine in Romania, ac partibus aliis Transmarinis circumadjacentium Regionum degentes, anxii relictibus sæpius repetitis, non sine vehementi dolore cordis auditis, paternæ pietatis & compassionis viscera nequivimus continere, quominus eidem Christianicis, qui ab eisdem Turcis tam per terram, quam per mare hostiliter lacebantur, quasi continuè spoliabantur, vulnerabantur, interficiebantur, & nonnulli utriusque sexus sub captivitate Turcharum ipsorum miserabili vendebantur ut pecudes, & ad abnegationem Fidei Catholicæ, pro dolor cogebantur, providè de succursu aliquo & defensione contra tam abominabilem & ignominiosam toti Christianitati sævitiam curaremus. Quamobrem manus sub divinæ miserationis auxilio ponentes ad fortia auxilia, tam per vos, quam per carissimum in Christo Filium nostrum, Regem Cypri illustrem, ac dilectos Filios, Magistrum & Fratres Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani, Ducem & Commune Venetiarum, & quosdam Fideles alios præfita, certum Galearum Stoliolum hominibus armigeris & aliis rebus necessariis sufficienter muniturum, ad partes illas pro succursu & defensione prædictorum Fidelium, & repressione hostium, sub Principali Gubernatione ac Regimine Venerabilis Fratris nostri Henrici Patriarchæ Constantinopolitani, Apostolicæ Sedis in partibus illis Legati, ordinavimus destinandum. Et licet armata Stoli potentia hujusmodi, cum nonnullis Fidelibus, in auxilium Christianorum & conculcationem dictorum infidelium, illuc fervore devotionis accedentibus, multum represserit crudelitatem & sævitiam hostium eorundem; tamen his diebus præteritis, divinâ clementiâ, quæ nunquam cessat in suis Fidelibus, & spem suam in ea figentibus, à benedictionibus gratiarum, suæ dexteræ potentiam uberius extendente, præfatus Patriarcha cum eodem Stolio, & multis viris fidelibus strenuis, ejusdem zelo Fidei Orthodoxæ accensis, ad civitatem Smirnæ, locum utique fortissimum, & portum maris habentem optimum, in quibus prædictorum Turcarum gens, nationis fœtidæ, specialiter, sicut intelleximus, spem suæ felicitatis ponebat, & inde majora damna intulerant, & inferre poterant Fidelibus antedictis, accessit; Et quamquam civitas ipsa, intra & extra, cum portu prædicto, munita esset innumera multitudine Paganorum, inter quos erat Marbaxanus, Dux & Rector magnus ipsorum, felix tamen Christianorum exercitus, in quo pauci erant respectu multitudinis infidelium prædictorum, in virtute illius, à quo est omnis virtus & victoria, intrepidè contra Paganorum Exercitum ac fortiter

& strenuè irruens, post conflictus aliquos, eisdem devictis gloriose Fidei hostibus, civitatem eandem, cum portu, & fortalitiis suis, posuit divina providentia, quæ in sua dispositione non fallitur, in manibus populi Christiani, dictusque Patriarcha, eliminatâ exinde Paganici erroris spurcitiâ, fecit ibidem ad laudem & gloriam divini Nominis, exaltationem Catholicæ Fidei, & consolationem ejusdem populi Christiani, divina officia celebrari, ac fortificari & muniti civitatem eandem, ut Fideles, qui ad acquirendas terras Paganorum partium earundem, & sub cultum Orthodoxæ Fidei reducendas laborare pro suarum animarum salute voluerint, ad ipsam civitatem & portum ipsius applicandi solidum & optimum valeant reclinatorium reperire. Nos autem, tam per literas ejusdem Patriarchæ, quam aliorum Fidedignorum, nec non & quorundam exinde venientium relictibus, hujusmodi victoria triumphali, quam de sede suæ magnitudinis dedit Altissimus, cum ingenti lætitia plenius intellectâ, tantorum collatori donorum in humilitate spiritus exolvere curavimus vitulum laborum, & tam per processiones, quam sermones ad Clerum, & populum, laudes fecimus solemniter Domino decantari. Porro de hujusmodi victoria, dilectus Filius, nobilis Vir, Johannes Bonde Domicellus, de partibus illius veniens, & ad tuæ Regalis Excellentiæ præsentiam se conferens, qui præsens in ea extitit, & super gestis per eum inibi laudabilibus multipliciter commendatur, eandem Excellentiam facere, viva voce, poterit plenius certiozem. Rogamus itaque Serenitatem Regiam, & attentius in Domino exhortamur, quatenus quæ, quanta, & qualia Principes Catholici, ad ejusdem dilatationem Fidei, ac suæ salutis & honoris augmentum, possent agere his temporibus, si guerris & dissensionibus suis cessantibus, intendere circa talia procurarent, consideranter attendens, tu Fili carissime, quem ad talia & similia inter cæteros Principes Catholicos Orbis terræ aptum, convenientem, & idoneum reputamus, ad vias pacificas, super guerris tuis, animum Regium dirigas, habiles, effectualiter & inclines; ut in his, quæ Dei sunt, tuisque honori & saluti congruunt, intendere, sicut consideranter affectamus, sicque vires tuæ fortitudinis valeas exercere, ut post cursum vitæ præsentis de Regno temporali, quod obtines, coronam Regni merearis accipere sempiterni.

Datum Avinion. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno tertio.

G. de Aula.

Bulla ad litteras, & Nuncios Regis responsoria de Treugis, & de attemptatis contra Treugas, ac super variis hinc inde tractatis, pacem bellumque tangentibus: anno 1345.

III.
Ex Arch.
Angliæ
Rymer
Tom. 5.
pag. 405.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissima in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Præsentatas pridem Apostolatui nostro Celitudinis tuæ litteras recepimus, quarum serie per nos intellectâ ipsæ nobis litteræ admirationis, ne dicamus turbationis materiam præbuerunt. Quæ quidem litteræ effectualiter continebant quod: Licet super dissensionibus